

Majoristas & eorum complices, ἐπαυτινω̄ς deinceps demon-  
strandum est.

I.

*Bona opera non sunt necessaria ad salutem con-  
ferendam, ratione efficientiæ.*

XXX. Causa iusticiæ & salutis nostræ prima atque  
summa nulla alia est, quam gratuitus Dei favor & mise-  
ricordia, quâ commotus Pater cælestis homines in gratiam re-  
cepit, teste scripturâ, Rom. 3. v. 24. & c. 4. v. 16. Ephes. 2. v. 5.  
& 8. Bona opera verò ab hac ipsâ δωρεῇ justificandi  
& salvandi penitus absolvuntur, & sequestrantur quàm lon-  
gissimè.

XXXI. Gratia enim non esset gratia, nisi gratis daretur  
omni modo, veluti Paulus non sine ἐμφάσει longè maximâ at-  
testatur, Rom 11. v. 5. 6. Si gratia, inquit, jam non ex ope-  
ribus, alioquin gratia non jam est gratia, Si autem ex o-  
peribus, non amplius est gratia, alioquin opus non est  
amplius opus. Et Ephes. 2. v. 8. 9. Gratiâ servati estis, non  
ex operibus. 2. Timoth. 1. v. 9. Salvavit & vocavit nos De-  
us vocatione sanctâ, non secundum opera, sed secun-  
dum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Chri-  
sto ante tempora secularia. Et ad Tit. 3. v. 5. & 7. Non  
ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum  
misericordiam suam salvos nos fecit, ut justificati ipsi-  
us gratiâ, hæredes efficiamur secundum spem vitæ  
æternæ.

XXXII. Quantumvis igitur Gratia DEI & donum  
per gratiam, sive opera renatorum, per se & respectu essen-  
tiæ suæ sint conjunctissima, & extra articulum justificationis  
secum

I.

Bona opera  
non sunt cau-  
sa efficiens ju-  
sticiæ & salu-  
tis.

I.

Gratia Dei &  
bona opera  
sunt opposita.

Ratio opposi-  
tionis inter  
gratiam & do-  
num per gra-  
tiam.